



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Cap. II. Quid de Præcepto IX. & X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

detractoris. Sic v. g. Prælatus non tenetur restituere ulli homini, si aliter non potest, quam cum amissione famæ suæ multò majoris momenti; sed sufficit tunc, si infamatū laudet, aut pecunia cōpenset. *v. C. Lugol. c.*

VII. Si infamatus spontè remiserit, (modo tamen ejus infamia non redundarit in alios, ut familiam, statum) siue expressa, siue tacita sit condonatio: tamen si nihilominus ex charitate damnum resarcire aliquando teneatur, si possit absq; gravi incommodo. *C. Lugol. d. 15. §. 3. n. 38.* Imo aliqua do etiam sufficit condonatio præsumpta, &ve interpretativa voluntas eius, qui potest condonare, si nimirum ille sit ita affectus, ut si rogaretur, facile condonaret: tunc enim non est invitus, saltem quoad substantiam, etsi fama non restituatur. *v. C. Lugol. c.*

*Quæres II.* An restitutio famæ licitè condonetur?

*Resp.* Licitè fit in iis casibus, in quibus seipsum licet infamare: in quibus autem, & quam graviter peccat se infamando, in iisdem & tam graviter peccat condonando *Nav. Trul. l. 7. c. 10. d. 28.* Unde resolves.

1. Condonans famæ restitutionem peccat mortaliter. 1. Si infamia redundet in alios. 2. Si inde sequatur scandalum. 3. Si sit vir valde utilis Reip. & ex infamia fructus impediatur. 4. Si fama sit necessaria ad muneris gubernationem, *Sot. Less. Trul. l. c.* qui tamen notant, condonationem semper esse validam, quando fama non redundat in alios; secus quando redundat. Unde parentes non possunt condonare, quando redudat in filios, neq; filii, quando in parentes, *v. Aut. c.*

II. Ex eo verò præcisè, quod infamatus (vel contumelia affectus) conversans cum infamatore, videatur remittere iniuriam, non censetur condonare restitutionem famæ, vel honoris; sicut nec alia debita per familiaritatem. *Navar. c. 18. Trul. 29.*

#### CAPVT II.

*Quid de Præcepto nono, & decimo?*

*Resp.* Prohibent omnes internas concupiscentias, & delectationes voluntarias illorum operum, quæ præceptis secundæ tabulæ, præsertim sexto & septimo vetantur. *Quæ de re vide supra, & patebit ex dicendis de peccatis, infra lib. 5.*

CAPVT